

Christian Ehrenfried Eschenbach

**Academiae Rostochiensis Rector Modernvs, Christianvs Ehrenfried Eschenbach,  
Med. Doctor Et Prof. Salvatori Orbis Resvrgenti Sacratas Ferias Religiose  
Concelebrandas Civibvs Academicis O. O. Honoratissimis Indicit, Praemissa  
Inflammationis Lymphaticae Atqve Seriosae Contemplatione**

Rostochii: Typis Adlerianis, [1772?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004038011>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

1772. Ostern.

M-1256. 406.

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS RECTOR

M G D E R N V S

CHRISTIANVS EHRENFRIED  
ESCHENBACH,

M E D . D O C T O R E T P R O F .

SALVATORI ORBIS RESVRGENTI  
SACRATAS FERIAS

RELIGIOSE CONCELEBRANDAS

CIVIBVS ACADEMICIS O . O . HONORATISSIMIS

I N D I C I T ,

P R A E M I S S A

INFLAMMATIONIS LYMPHATICAЕ ATQVE SEROSAE

C O N T E M P L A T I O N E .



ROSTOCHII,

T Y P I S A D L E R I A N I S .

M-1256 406

Ost. 1772.



Quoties in peripheriae corporis regione quadam tumor oboritur, cum rubore, tensione sive duritate aliqua, dolore, et arteriarum pulsatione solito fortiori, hincque nato calore, junctus: toties *inflammationem* praesentem quilibet, vel levissima morborum experientia imbutus agnoscit; ast praeprimis chirurgia extra omne ponit

dubium. Et morbi hujus fundamentum consistere in vasculorum arteriosorum minimorum, a fluido intus hærente spiso, obstructione; quæ ipsa iterum vitio alicui, sive in corporis humoribus latenti, sive partibus solidis potius adscribendo, debet originem; eadem declarant principia chirurgica.

Summus namque universi Creator ita corpus condidit humanum, ut, quandiu hominis vita sanitasque servantur illaesae, canales copiosi, coniformes, ac in truncos ramosque diversae magnitudinis distributi, et in continua dilatatione et constrictione reciproca occupati, contineant in se atque propellant fluida, corporis partem specabilem efficientia, et per corpus totum singulaque illius puncta, circulo nunquam interrumpendo, lata. Haec ipsa igitur circulatione et fluidum supponit, tam quoad quantitatem, quam quoad qualitatem tale, quod canarium impulsu obtemperat; et canales pervios necessario requirit. Atque sic facillime patet, circulationi impedimentum accedere maximum, quamprimum res quaecunque, canales obstruens, fluido transitum paecludit.

Verum et corporis fluida circulantia dantur varia. *Sanguis* nimirum, reliquos humores singulos includens, et, propter admixtum cruentum, rubro colore conspicuus: *lympa*, sanguinem, excluso cruento, seu parte rubicunda, sistens, atque e muco et sero constans, sanguinis portionem albam junctim componentibus: ac denique *serum*, quod, sanguinis partem constitutus subtilissimam, atque ex aqua et diversi generis salibus conflatum, diversos in corpore obvios humores speciales subministrat.

Ad horum quoque fluidorum normam recentioris aevi medici canales, singula eadem includentes, dispescunt in *vasa sanguifera*, primi quoque ordinis vasa nuncupata, quae totum in se recipiunt sanguinem, atque reliquos volumine, nec non quantitate, adeo superant

ANATOMICA 219

superant canales omnes, ut sola in corpore pateant conspectui nudo partim, partim universum corpus humanum e vasibus sanguiferis unice quasi confectum videatur. Porro, in *vasa lymphatica*, sive vasa secundi ordinis, vasa etiam lymphatica nova appellata, ut a lymphaticis Bartholinianis seu valvulosis distinguantur; sanguinis tantummodo portioni albae, sive lymphae, vehendae destinata. Tandemque in *vasa serosa*, vel tertii ordinis vasa, quae non nisi subtilissima sanguinis portio, seri titulo veniens, intrat. Qua ipsa occasione notari adhuc meretur, amborum fluidorum ultimorum nomina ab auctoribus commutari nonnullis, adeo ut, qui hoc loco lympha audit humor, ipsis dicatur serum, et vice versa: quibus ideo, quae jam lymphatica vocantur nova, serosa sunt vasa; quique contra ea, serosa in praesenti commentatiuncula nominata, lymphaticorum vocabulo indigitant.

Canales praeterea istos, sive vasa, vel Arterias esse, vel Venas: hincque non modo dari arterias sanguiferas, arterias lymphaticas, et arterias serosas; sed etiam venas, simili cognomine dotas; inter medicos constat. Cumque in arteriis quibuslibet fluidum inclusum, durante itinere, et ad punctum canalis ultimum usque, ramos amplitudine sensim decrescentes permeet, sicque e spatio majori minus continuo spatium intrare cogatur, saltim quoad canales singulos seorsim sumtos; quod ipsum in venis contrario sese habet modo; in arteriis potius, quam in venis obstructio, inflammationis basis, locum invenit; licet nec deficiant auctores, praecipuum inflammationis sedem in venis quaerentes partim, partim effusum intra tunicam cellulosa accusantes sanguinem.

Cum porro ulla haud pateat ratio, ob quam arteriarum species aliqua; assumpta nimirum obstructionis sede in iisdem; ab illa maneat libera, quoniam et ratione structurae ac muneris peragendi singulæ eadem congruunt reliquis, et obstructionis caufae efficienes in omnis generis arterias agere queunt: sequitur, ut tam sanguiferas obstructio aggredi possit arterias, quam lymphaticas atque serosas; ut itaque detur obstructio a sanguine stagnante producta, nec non a lympha, itemque a fero.

Cum tandem nulla cogat necessitas, ut arteriarum species tantummodo unica eodem obstruatur tempore; id potius de specie plus una simul observatum, praeter rationem, ejusmodi quid concedente, experientia testetur clinica: sequitur, ut obstructio vel in sanguiferis arteriis contingat solis, vel in solis lymphaticis, vel in se-

in serosis solis; vel etiam, una cum sanguiferis, aliquando lymphaticae obstruantur arteriae, vel hae ultimae una cum serosis; vel denique omnis generis arteriae junctum obstructionem experiantur.

Punctum arteriae obstructum non modo affluentι fluido transitum denegat liberum; sed etiam, quia fluidum hocce, promotum quippe ab arteria pulsante, cum impetu accurrit, cum vi reficit idem, ad modum globuli cuiusvis, contra objectum aliquod immobile projecti. Ast et alia quaedam fluidi portio, simile iter absolutura, a tergo prioris adest, huic regressum vetans. Ex amborum igitur, in directione contraria, concursu oboritur conflitus et effervescentiae species, qua mediante arteria, immediate ante locum obstructum, ultra diametrum dilatatur consuetum, fluido scilicet ibidem solito copiosius congesto, sive majus, quam antea, spatium postulante. Dilatationem istam partim sequitur fibrarum, membranas arteriae componentium, primo tensio, duritiesque et tumor in hoc loco plus minus notabiles; ac ultimato dolor; isque eo manifestior, quo celerius tensio fibrarum augebitur: partum propter elasticam, qua arteriarum fibrae pollent, virtutem arteriae constrictio succedit proportionata, id est, naturali major. Cumque effervescentia fluidi particularum motum augeat internum, huncque auctum, auctus etiam motus externus, sive progressivus, excipiat: arteriae quoque reciproca constrictio et dilatatio, seu pulsus, accedit frequentior. Tandem et, cum horum omnium causa, obstructio nimirum, persit, dicta humoris ebullitio et arteriae motus vividior, sub initium circa punctum aegrotans solummodo praesentes, sensim ulterius serpuit, ac denique et humorum totum rapiunt in consensum, et per universum vasorum systema divagantur. Alios quoque effectus, fluidi praesertim conditionis specialis insuper addit.

Quando nimis obstructio commemorata in arteria continet sanguifera, tunc, propter hujus volumen, respectu arteriarum secundi et tertii ordinis maximum; sanguinisque, vasa sanguifera inhabitantis, quantitatem insignem, ac motum, tam internum, quam externum, manifestum; nec non crux cum reliquis humeribus permixtionem; non modo tumor, tensio et durities, adsunt, sed etiam dolor accedit, atque arteriarum in parte affecta pulsatio, una cum calore, ac rubore, adeoque narrata statim in sermonis principio inflammationis signa diagnostica omnia conspiciuntur.

ciuntur. Neque addendum restat, nisi quod obstructio dicta minimas tantummodo arterias sanguiferas aggrediatur; cum majoris alicujus arteriae, truncum arteriosum constituentis, obstructio effectus longe alios producat, qui hoc loco recenseri nequeunt. Hoc ipsum interim monitum ad reliquas non spectat inflammations, quoniam arteriarum secundi et tertii ordinis singularium volumen adeo est exiguum, ut oculus solummodo armatus priores, nec nisi hasce, attingat, et earum quamlibet ultima arteriola sanguifera mole adhuc superet.

Praeterea febris urget manifesta, *inflammatoriae*, nec non *acutae*, cognomen in scholis medicis nacta; et pro diverso inflammationis gradu atque temporibus diversis, aut mitior, aut vehementia notabiliori infestans; generatum interim non nisi in gradu inflammationis majori timenda; in mitiori quippe morbi gradu salutari semper exitu stipata, quia, quem secum dicit, major sanguinis impetus obstructioni solvendae, sicque liberandae arteriae obsessae, idoneus est, quoties nec humor obstruens omnem jamjam depositus fluiditatem, nec ejus resistentia, prouti sit in fortior, inflammatione, vim sanguinis irruentis efficacia superat.

Inflammationem quoque hanc medici recentiores *sanguineam* cognominant, ut eadem a reliquis discernatur inflammationum speciebus. Ipsa haec inflammatio diutius haud subsistit, sed vel intra paucos dies, modo descripto, discussione salutariter terminatur; vel in aliud transmigrat morbum, ac speciatim vel in suppurationem, vel in partis affectae gangraenam. Adhaec, obstructarum arteriarum secundi et tertii ordinis aliquando causa fit, tuncque, aut ex alio fonte, cum harum obstructione combinata, eandem, discussa licet ipsa, relinquere potest superfitem. Quando viscus aliquod aggreditur ea, adeoque occurrit *interna*, ulla haud accedit differentia, nisi quam loci diversitas infert. Cumque in praxi medica saepe saepenumero ista obveniat; atque, exterius in corpore sedem figens, nemini non sit nota; sicque praeprimis sistat effectus, visui tactuique patentes: ceu norma allegari solet eadem, quoties de interna inflammatione, aspectum fugiente, itemque de explicanda inflammatione lymphatica atque serosa, sermo instituitur; idque propter ea, quoniam in essentialibus singulae inflammationum species conspirant.

*Lymphatica* igitur *inflammatio* exsurgit, quando arteriam lymphaticam obstructio capit. Ea namque obstructa fluido in eadem

dem obvio, id est, lymphae, seu, quod idem est, sanguini, excluso cruento; pari, ac de sanguifera arteria dictum, modo, liberum per punctum obfessum denegat circulum; atque sic dilatationem arteriae morbosae ejusque consectaria producit. Dolor autem non adest, nisi mediocris admodum; nec calor ullus molestat, nec rubor accedit. Febris quoque, aut deficit, aut si jungatur, ad intermittentium potius, quam ad acutarum, classem deflecit. Atque haec singula volumen arteriae exiguum pro fundamento habent partim; partim lympham, prae sanguine mitius longe in vasibus sibi propriis promotam, deficiente scilicet cruento, motus interni et caloris in sanguine principio.

Causa obstructionis vel est lympha, ob spissitudinem, sive consistentiam naturali majorem, in cavi arteriae, quam permeare debebat, puncto aliquo haerens, eamque sic obturans: idque, sive propter muci, ad lymphae compositionem concurrentis, e quacunque causa, copiam excedentem, sive propter admixtum contagium, aut aereum, aut corporeum, idemque coagulandi praeparatis facultate instructum. Vel obstructionis fundamentum in ipsa latet arteria, quae aut a comprimente corpore, extus accumbente, coarctatur; aut cuius membranae, crassitatem contrahentes praeter naturale, canalis diametrum minuant; et in utroque casu lymphae stasi occasionem subministrat.

Quo ipso adhuc palam fit modus, quo sanguinea inflammatione inflammationem lymphaticam, prouti accidit haud raro, post se trahit. Dilatatae namque, in inflammatione sanguinea, arteriolae sanguiferae majus, quam quo fruebantur antea, spatium assestant: verum et hoc, nisi vicinas, atque propter vires, quibus pollent, minores satis resistere nescias comprimant, minime acquirent. Patet quoque ratio, ob quam obstructa in inflammationis, sive sanguineae, sive lymphaticae, sive serofae, principio arteriola una, mox plures idem experiantur fattum: arteriola enim obfessae portio libera, id est, arteria ab initio ad punctum obstructum usque, dilatatur, quemadmodum in antecedentibus monitum prostat, adeoque spatium replet justo majus, quod ipsum ut nanciscatur, vicina quadam arteriola spatio, ipsi proprio et hactenus servato, privetur oportet: atque sic obstructionis in hac etiam arteria compressa nascatur occasio, quae simili sensim ulterius serpit labore.

Mala, ex inflammatione lymphatica aegroto imminentia, diversi sunt generis. Primo namque, propter compressas, modo descripto,

descripto, a dilatatis arteriis lymphaticis sanguiferas arteriolas inflammationi sanguineae lymphatica sternit ipsa viam; quam rursus inflammatoria febris, singulaque ejus conlectaria excipiunt. Idque contingit, quia lympha circulans; sive revera a punto obstruēto reflexa, et in ebullitionem rapta, propter croris defectum mitiorem licet, ac lymphae naturae congruam, ratione in antecedentibus allata; sive, propter transitum impeditum, partem arteriae incolumem quiete inhabitans, verum et sic temporis successu, ad morem fluidorum corporis quiescentium quorumlibet, inspissata: vel ebullitionem sanguini ultimato communicat; vel, isti saltem circulant tandem impedimentum afferens, suam quoque symbolum ad producendam obstructionem, hinc inflammationem sanguineam, compressioni predictae addit.

Hanc ipsam quoque inflammationem sanguineam, alias post praeterlapsum durationis tempus mediocre solvi solitam, lymphatica inflammatio, sive praecedens, sive secuta, toties mutat in chronicam, quoties aut arteriarum lymphaticarum, obstructione laborantium, numerus nimium accrescit; aut lymphae spissitudo causam agnoscit, vel per se et sua natura insuperabilem, vel superabilem quidem, ast post expulsionem de novo semper admissam. Atque in hoc casu febris inflammatoria juncta, sive multoties re-crudescit, mitior licet reddit, aut plenarie oppugnata; sive chronicā fit, remissiones non nisi debiliores rarioresque monstrans; quin etiam insanabilis penitus: quemadmodum singula haec ophthalmia chronica, medelam subinde omnem, saltim completam, respuens; nec non febris, ad remittentium classem spectans, iteratis vicibus revertens absque causa manifesta, et ad menses aliquot, imo diutius, protracta; ac praeter caeteris lenta febris, probant.

Praeterea inflammatio lymphatica viscerum infarctus constituit basin: atque, in externis corporis regionibus conspectui patens, scirri praebet fundamentum. Tandemque, quemadmodum obstructa arteriola sanguifera lymphaticam arteriam simili afficit morbo: sic inflammatio quoque lymphatica, arterias comprimento serosas, provocandae inflammationi serosae apta est.

*Inflammatio* denique *serosa* cum hactenus pertractata inflammatione lymphatica compluria agnoscit communia; nec veniunt excienda, nisi quae arteriarum serosarum et connexionem, et officium, cui praefunt, speciale tangunt. In arteriis itaque serosis; propter exilitatem summam ne oculo quidem armato patentibus, sed

sed unice ex effectibus, quos circa humorum in corpore secretio-  
nis negotium exserunt, dignoscendis; obstructio oritur, quando  
seri, in statu sano arteriam libere percurrentis, particula quaedam  
haeret fixa, tuncque viam circulanti in hac arteria fero claudit, at-  
que sic, ut arteria usque ad punctum obstructum dilatetur, efficit.  
Dolorem, nisi is ex alio jungatur fonte, secum habet nullum; ne-  
que calorem corpori communicat praeter naturalem. Natales ipsi  
suppeditant, vel serum justo spissius; vel arteriae a corpore quo-  
dam incumbente compressae, aut alio quovis modo angustiores,  
quam decet, redditae; quod ultimum, inter reliqua, et spasmodus  
interdum praestat, e causa quacunque excitatus, et vasis serosis  
communicatus. Inflammationi lymphaticaem ansam subministrat,  
sicque ad excitanda mala, hanc sequentia, concurrit. Secretionem  
humoris specialis in parte affecta deficiente post se trahit, pro  
numero arteriarum obstructarum; ac febrium intermittentium cau-  
sa primaria haud absque fundamento creditur.

Caeterum cum vasa, tam lymphatica commemorata, quam  
serosa, ad hujus seculi inventa medica sint referenda; BOERHA-  
VIUS nempe omnium primus eorum mentionem injectit: Doctri-  
nam quoque de inflammatione lymphatica atque serosa, quae am-  
plissimi in medicina clinica, quamvis forte inter praticos nondum  
ubivis recepti, usus est; medicis unice deberi recentissimis, facili  
elucet negotio. Nullus saltem mihi innotuit auctor, qui; exceptis  
iis, quae BOERHAVIUS in *Aphor. de cognosc. et cur. morb. ha-*  
*bet*, *huc referenda*; eandem, ante *Pathologiam* a me editam, ex  
professo pertractaverit, quamvis nunc de iisdem agentes Disputatio-  
nes nonnullae existent.

Jam, pro munieris ratione, Vos alloquor, Cives nostri! et  
admoneo, velitis non modo diebus festi praesentis durantibus, sed  
et post eosdem transactos, quin etiam ad ultimum vitae halitum  
usque, tales vos gerere, ut, quando mundi Salvator, quem DEVS,  
educendo illum a mortuis, omnibus ac singulis terricolis declaravit  
veracem ipsius legatum, atque voluntatis divinae interpretem, nec  
non Dominum supra omnia exaltatum, redibit olim Judec Universi  
Omniscius, Vestrum neminem actorum durante vita poeniteat.

---

P. P. S V B R E C T O R A T V S S I G I L L O.  
F E S T I P A S C H. D I E I.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1004038011/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004038011/phys_0012)

DFG

descripto, a dilatatis arteriis lymphaticis sanguiferaflammationi sanguineae lymphatica sternit ipsa vias inflamatoria febris, singulaque ejus conjectaria que contingit, quia lympha circulans; sive revera aetate reflexa, et in ebullitionem rapta, propter cruentiorum licet, ac lymphae naturae congruam, rationibus allata; sive, propter transitum impeditum, incolumem quiete inhabitans, verum et sic tempore morem fluidorum corporis quiescentium quorumlibet vel ebullitionem sanguini ultimato communicat; sive circulanti tandem impedimentum afferens, suam quidem ad producendam obstructionem, hinc inflammatione compressioni praeditae addit.

Hanc ipsam quoque inflammationem sanguineam praeterlapsum durationis tempus mediocre solvi foliata inflammatio, sive praecedens, sive secuta, toties nicam, quoties aut arteriarum lymphaticarum, obrantium, numerus nimium accrescit; aut lymphae fam agnoscit, vel per se et sua natura insuperabilem quidem, ast post expulsionem de novo ferat. Atque in hoc casu febris inflamatoria juncta, sive crudescit, mitior licet reddita, aut plenarie oppugnica fit, remissionses non nisi debiliores rariores quin etiam insanabilis penitus: quemadmodum sinus thalmia chronica, medelam subinde omnem, salves respuens; nec non febris, ad remittentium classem, vicibus revertens absque causa manifesta, et ad uno diutius, protracta; ac prae caeteris lenta febri.

Praeterea inflammatio lymphatica viscerum tuit basin: atque, in externis corporis regionibus cunctis, scirrhi praebet fundamentum. Tandemque, obstructa arteriola sanguifera lymphaticam arteriam morbo: sic inflammatio quoque lymphatica, arterias serosas, provocandae inflammationi serosae apta est.

*Inflammatio* denique *serosa* cum hactenus per mutatione lymphatica compluria agnoscit communia; non pienda, nisi quae arteriarum serosarum et connexarum, cui praesunt, speciale tangunt. In arteriis propter exilitatem summam ne oculo quidem ar-



the scale towards document